

nem, et vanitatem, vel aliquid aliud, in quod magis propendet voluntas. Signum autem hujus est, quia cum plura appetat, tamen semper aliquid est, quod non vult relinquere, etiam si alia perdat. Quidquid autem illud sit, in quod voluntas magis inclinatur, tum demum rationem ultimi finis obtinebit, cum bonitas ejus, et perfectio ita allicit appetitum, ut ubi terminetur ejus desiderium, et reliqua bona, quæ appetit isti subordinet, et ad illud dirigat, extra ipsum vero, seu ultra ipsum non relinquatur aliquid appetendum, tamquam perfectius, seu tamquam perficiens, et finalizans ipsum. Quod D. Thomas expressit illis verbis in hac ratione prima positus, ubi finem ultimum dicit: « Qui implet totum hominis appetitum, ita quod extra ipsum nihil appetendum relinquatur: quod esse non potest si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur, » id est, si aliquid quod extra ipsum appetitur, tamquam perfectivum ipsum appetatur, licet multa alia bona extra, vel præter ipsum appeti possunt, non tamen ut perfectiva ipsius, sed ut deservientia, et subordinata illi. Nec enim est necesse, quod id, quod appetitur ut ultimus finis, dicatur plene satiari appetitum, quia se solo dat appetitui omne, quod potest appetere: sed dicitur plene satiari, quia est ultimum, ubi terminatur desiderium appetentis, quod tunc terminatur, cum satiatur, et sic plene satiatur terminative, non plene, id est, se solo dans omnia, sed terminans omnia: potest enim appetens alia bona desiderare, sed ut subordinata illi in quo terminatur. Quod si non subordinet; vel abjicit illum finem ultimum, et alium accipit; vel utrumque subordinat alicui tertio, cui illi fines deserviunt. Et sic, qui ponit in delectatione luxuriæ ultimum finem ex corrupta æstima-

tione, et tamen videt non implere appetitum suum, quoad alia quibus indiget, non ex hoc destruitur ratio finis ultimi: quia illa bona appetuntur, ut subordinata illi, vel alii tertio, ubi impletur, id est, sistitur tamquam in termino desiderium appetentis, et sic ultra non transit tamquam in finem perfectivum, licet alia desideret ut subordinata isti. Unde perinde est ultimum finem esse bonum completivum, et perfectivum appetitus, atque appeti ut ultimum, non subordinatum alteri, sed subordinantem sibi reliqua.

XVII. Et ad instantiam quæ adducitur, de illis qui credebant plures deos, respondetur illos non potuisse habere tales deos pro ultimis finibus; quia etsi deos nominabant, et divinitatem illis tribuebant, non tamen ut summum, et ultimum bonum, et infinitum, unumquemque eorum habebant, sed vel unum summum, et cæteris præstantiorem habebant, licet confuse cognitum, ut de Atheniensibus dicitur Actorum xvii, quod habebant aram dicatam: *Ignoto Deo*: vel suam propriam commoditatem ut finem habebant, sicut illi: *Quorum Deus venter erat*; non vero illorum deorum gloriam expetebant ut finem ultimum, nec enim per eorum visionem, et consortium, beatificandos se sperabant. Quod si aliqui ita corruptam habebant æstimationem, quod unumquemque illorum deorum existimarent esse verum Deum, independentem ab alio, et quemlibet esse primam causam, et ultimum finem, non omnium rerum, sed quemlibet aliquarum, verbi gratia, Martem pro re militari, Mercurium pro scientia, Venerem pro generatione, et sic de aliis, et sic contendat aliquis potuisse ex corrupta æstimatione, plures, et non subordinatos fines, voluntatem appetere, respondetur quod si hoc accideret, nullum illo-

rum deorum haberet ille homo pro fine ultimo simpliciter, et causa universali, sed particulari, et restricta ad illud determinatum bonum dandum. Unde unusquisque constitueret ex illis bonis, et ex illis diis, finem ultimum, quem mallet, et in quem plus inclinaretur, et reliqua bona, aut deos illis præpositos, illi magis voluto subordinaret, vel pro libito mutaret. Itaque sicut nunc diversa bona appetuntur pro fine ultimo apparenti, prout quisque vult, ita illorum honorum deos haberet pro fine; et sicut unum bonum alteri bono subordinare posset, ita et unum deum ex illis, alteri deo pro arbitratu suo; nam tales illi dii æstimarentur, quod unus alii pro arbitratu hominum subderetur. Unde et Tertullianus acute Romanorum superstitionem tangens in eligendis diis, cap. v apologetici: « Apud vos, inquit, de humano arbitratu divinitas pensatur: nisi homini Deus placuerit, deus non erit, homo jam deo, propitius esse debet. »

XVIII. Quod si instes: Unde tanta necessitas imminet voluntati, ut necessario teneatur unum finem alteri subordinare, nec possit pro diversis rebus diversos fines, nec inter se, nec uni tertio subordinatos tenere, et præsertim cum ipse D. Thomas infra quæstione xii, articulo iii, expresse dicat, quod potest intentio ferri in plura, sibi invicem non subordinata, respondetur de hoc dicendum esse in solutione contra consequentias hujus primæ rationis, ubi ostendemus, non posse voluntatem etiam pro libito suo, et arbitrio, duos fines ultimos non subordinatos constituere. Debent enim ad minus uniri, saltem in aliqua commoditate, et convenientia ipsiusmet appetentis; si enim aliquid disconvenit ipsi voluntati non amatur. Commoditates autem, seu convenientiæ ipsius appetentis, licet inter se insu-

bordinata non sint, tamen in ipso tertio, cujus commoditati deserviunt, subordinari debent. Et quando D. Thoms dixit quæstione xii citata, quod potest homo intendere plura adinvicem non ordinata, non negat talia non debere absolute ordinata esse, sed non debere esse ordinata ad invicem, id est, inter se: non negat autem debere esse ordinata, seu subordinata uni tertio, et illud tertium habebit rationem finis ultimi, non autem ea, quæ inter se ordinata non sunt. Quod expressit ibi sanctus doctor solutione ad secundum, dicens: « Quod intentio est motus voluntatis in aliquid præordinatum a ratione, et ideo ea, quæ sunt plura secundum rem, possunt accipi, ut unus terminus intentionis, prout sunt unum secundum rationem; vel quia aliqua duo concurrunt ad integrandum aliquid unum, sicut ad sanitatem concurrunt calor et frigus commensurata, vel quia aliqua duo suo uno communi continentur, quod potest esse intentum, puta acquisitio vini, et vestis continetur sub lucro, sicut sub quodam communi. Unde nihil prohibet, quin ille, qui intendit lucrum, simul hæc duo intendat. » Ita D. Thomas.

XIX. Ad id vero quod objicitur contra responsionem ibidem datam, quod qui vult plura bona ad extra, non constituit finem suum ultimum in illis, sed in se ipso, cui omnia illa subordinat, se ipsum vero regulæ ulteriori non subjicit, quæ est solutio Cajetani hic articulo quinto, respondetur, quod homo peccans, et a regula divina adversus, est sibi ipsi finis ultimus, tamquam finis cui; et bonum proprium, seu felicitas, et bene esse proprium non in communi, nec regulatum, sed ut independens, et non coarctatum sub regula Dei, sed suæ propriæ regulæ relictum, est finis ultimus qui. Et hoc bonum proprium, seu bene esse

integratur ex illis bonis exterioribus quibus fruitur ut vult, et non ut de- cet, nec coarctate ad regulam divi- nam, sed ad proprium libitum. Un- de in tantum dicitur ipse homo, esse finis ultimus, in quantum de se, et a suo libito sumit regulam appetendi quæcumque vult, non juxta mode- ramen regulæ divinæ, quæ taxat appetibilia, et modum appetendo- rum, sed juxta sui arbitrii directio- nem, cum stat pro ratione voluntas. Et dicitur tale arbitrium, et tale li- bitum, atque adeo ipse homo perti- nere ad rationem finis ultimi, non solum ut finis cui, sed ut finis qui; quia juxta suum libitum determinat appetibilia, et modum appetendo- rum, non juxta legem Dei, et sic res illæ ut subjectæ tali ordini et modo sunt appetibiles ut res, et ipse ho- mo est finis cui tamquam persona; sed bonum proprium, ut ab ipso ho- mine dispositum, non ut a Deo or- dinatum, dicitur finis qui ultimus, et sic est satiativum ultimate pro- prii appetitus.

XX. Ad ea quæ objiciuntur contra primam consequentiam D. Thomæ respondetur, non posse voluntatem suo libito, aut permissione duos ul- timos fines simul velle, aut in eos tendere, licet successive possit ap- petere diversos fines ultimos; et quotidie nostris peccatis id vide- mus, cum ab incommutabili bono, ad commutabile nostri commodi, aut libiti bonum, convertimur. Cur autem non possit voluntas ac- cipere unum bonum, tamquam fi- nem ultimum pro una serie rerum, vel pro tota operationum suarum collectione, alium pro alia serie, vel etiam pro tota collectione operum, et si superflue se habeat, et eandem contineat bonitatem quam alius? Respondetur rationem esse, tum propter formalitatem ultimi ex par- te finis qui; tum propter unitatem appetentis ex parte finis cui. Non

potest autem voluntas pro libito, is- tas formalitates, et respectus ever- tere. Nam formalitas ultimi finis, est formalitas ultimi perficientis ap- petitum, finis non est bonum, et perfectum. Unde illud, quod in ge- nere boni, et perfecti habet rationem ultimi, est ultimum perficiens ap- petitum, et ex consequenti claudit, et sub se continet, ac subordinat quidquid pertinet ad talem appeti- tum, vel simpliciter, si respectu om- nium appetibilium sit ultimum, vel in aliqua serie, et ordine, si in illa tantum ultimum sit. Si autem solum in aliquo genere, et serie ul- timum sit, verbi gratia, in serie, et ordine lucrandi, vel militandi, etc. non vero est ultimum simpliciter; ergo in illo non quiescit simpliciter appetitus, sed eo genere dato, ad- huc ulterius requirit in quo quies- cat, hoc erit simpliciter ultimum, ubi tandem quiescit. Si autem plu- ra sunt, in quorum collectione quiescit, inter se vero non sunt co- ordinata, nec unum subordinatur alteri, oportet videre rationem, qua- re in illa collectione quiescit, nempe quia illa plura sic collecta integrant et pertinent ad totale, et integrum commodum appetentis, et sic licet inter se non sint coordinata, sunt tamen in uno tertio, quod integra- tur ex illis, et sic appetuntur sub una formalitate, et sic fertur in ea intentio, ut ex D. Thoma diceba- mus. Et sic oportet, quod finis ul- timus integratus ex pluribus, mate- rialiter ad illum concurrentibus, habeat unitatem ex unitate appe- tentis, quatenus ad unum illius bo- num, vel commodum integrandum confluunt.

XXI. Quod si detur aliud simile bonum solo numero distinctum, in quo etiam tamquam in ultimo qui- escere possit voluntas, non quidem ex necessitate, sed ex arbitrio suo, aut etiam ex superfluitate; adhuc

ibi non potest appetere duos ultimos fines, formaliter loquendo; quia supposito quod voluntas plene satia- tur, et completur in uno eorum, non potest appetere alterum ut sa- tiativum, et completivum sui. Quod si ex superfluo appetit, ergo non ut finem ultimum, quia id quod ut finis ultimus appetitur, accipitur ut principale bonum appetentis, un- de cætera bona pendent, et cui su- bordinantur, utpote finis, et bonum magis perfectum; et ideo finis ul- timus est primus in movendo seu in intentione, ergo repugnat, quod ametur tamquam superfluum, et minus necessarium bonum, super- fluum enim non est magis princi- pale. Si ergo amatur ut finis ul- timus, oportet quod vel secundum re- ctam, et regulatam æstimationem vel secundum corruptam, et pra- vam accipiatur ut bonum primo intentum, et magis principaliter movens. Unde si est minus neces- sarium, et ex abundantia, aut su- perfluitate assumitur a voluntate, cum jam habeat alium finem ul- timum, oportebit, quod ei apponat aliquod aliud motivum; vel quod id faciat ad experiendam libertatem, vel ex aliquo vitio indebitæ super- fluitatis, aut curiositatis, vel ex alio simili. Et tunc jam non erit forma- liter finis ultimus per omnia simi- lis, et solo numero distinctus ab al- tero fine ultimo, quem appetit, li- cet materialiter sit ejusdem entita- tis, vel rationis: quia primus finis ultimus non appetebatur ut super- fluum, sed ut bonum satiativum, et perfectivum appetentis: quomodo enim superflue appeteretur, si alius ante ipsum prius volitus, et prius movens non supponebatur?

XXII. Ad illam vero instantiam de eo qui peccaret in statu puræ natu- ræ, et iterum converteretur ad Deum auctorem naturalem, volendo ipsum pro fine ultimo, responde-

tur, quod si Deus tali homini se convertenti, non vellet remittere pec- catum; nec dare gratiam (quod ab- solute possibile est, ut in materia de justificatione dicitur) talis manebit quidem in peccato, secundum ratio- nem injuriæ factæ Deo, non secun- dum conversionem ad suum objec- tum, vel ad suum finem; sed solum habebit pro fine ultimo Deum, quoad operationes suas. Non est autem in- conveniens, quod aliquis sit con- versus ad Deum, ut finem natura- lem in aliquo statu, et tamen sibi non sit remissum peccatum, quia conversio nostra ad Deum, solum est dispositio quasi passiva ad obti- nendam remissionem, non tamen habet cum ea necessariam connexi- onem, sed se habet ut diaphaneitas ad lucem, sine qua esse po- test.

XXIII. Et ad instantiam de eo, qui appeteret plures fines ultimos dis- junctive, non copulative, dico quod tales fines disjunctive considerati, vel quilibet eorum, habet sufficientiam ultimi finis, et utriusque est capax appetitus: vel neuter habet sufficientiam ad satiandum, et com- plendum appetitum, sed uterque si- mul. Si hoc ultimo modo, non ap- petitur disjunctive duplex finis, sed copulative; quia ex utroque inte- gratur, et tunc materialiter solum, et inadæquate, quilibet dicitur finis ultimus; formaliter vero et adæ- quate, unus tantum est, ut S. Tho- mas docet in hac quæstione, articulo quinto ad primum. Si primo modo, eliget voluntas quem voluerit pro ultimo fine: sicut quotidie videmus, quod eligit quilibet id, quod vult præsertim cum peccat, sed uno fine electo, non poterit alterum simul in- tendere ad consequendum, nisi ve- lit illum ut superfluum, vel sub alio formali motivo finis quam primum, vel nisi mutetur a primo fine in se- cundum. Et tunc redit casus jam

attactus de duobus finibus ultimis, numero solum distinctis et æqualibus, idemque in præsentis dicendum est: et sic solvitur replica, quæ de pluribus finibus solo numero distinctis, loquitur. Non enim dubitamus, quod voluntas possit superfluum appetere, non potest tamen rationem finis ultimi, sub ratione superflui attingere, cum a fine ultimo cætera dependeant.

XXIV. Ad instantias contra ultimam consequentiam D. Thomæ respondetur eodem modo, quod si ultimus finis est bonum perfectivum complete, et ultimate appetentis, quia est id in quo ultimo quiescit et sistit, et consequenter a quo incipit intentio; optime sequitur non posse tendere in duo, ita quod utrumque sit perfectivum ipsius, seu ultimus finis, sive unum se habeat, ut requisitum ad alterum, ut perfectum sit, sive se habeat ut simile illi, ut possit appeti sicut ipsum. Si enim requisitum est ad perfectionem ipsius finis ultimi, ergo ante tale requisitum, finis ille non est complete, et totaliter perfectum respectu appetentis, si quidem hoc requiritur ad illum finem ultimum. Et rursus, si tale requisitum appetatur, non appetetur ut distinctus finis ultimus, sed ut pars prioris, seu requisitum ad ipsum. Si vero non est requisitum ad perfectionem talis finis ultimi, sed simile illi, ut possit appeti tamquam finis distinctus, currit solutio jam data; quod talis finis non potest appeti, intendi ut bonum necessarium, sed superfluum, si quidem sine illo alter finis ultimus sufficienter complet, et perficit appetitum. Habere autem pro fine ultimo appetentis id, quod superfluum est appetitui, repugnat; cum nihil magis appetenti conveniens, et necessarium judicetur, quam ultimus finis, unde reliquorum appetibilium mensura, conve-

nientiaque dependet. Nisi forte id quod in se superfluum est, et omnino simile alteri, appetatur sub aliquo altiori motivo, non omnino simili præcedenti fini ultimo, et tunc destruitur casus; quia jam non sunt illi fines omnino similes, et supponuntur appetitus non totaliter, et plene satiatus per priorem ultimum finem, si quidem restat nova ratio motiva perficiendi, et satiandi, quæ si simul cum alio priori fine compatitur, ex utroque fiet unus integer finis pertinens ad bonum integrum, seu commodum appetentis, habebitque unitatem illud bonum ex unitate appetentis, et appetitus ejus, ut dictum est.

XXV. Quod vero insinuat in eadem instantia de pluribus finibus ultimis materialibus, dummodo maneat formalis unitas beatitudinis, non solum in communi, sed etiam in singulari, quatenus illa plura materialia appetuntur, ut integrantia unum totale bonum determinatum ipsius appetentis, ut docet S. Thomas infra quæstione XII, articulo III ad secundum, quod hic et nunc in concreto accipitur ut bonum accommodatum, et conveniens ipsi appetenti, et in quo quiescat, non autem solum consideratur ut communis ratio appetendi, quæ est beatitudo in communi sumpta. Et ita non intendit D. Thomas probare, quod ratio formalis objecti voluntatis in communi seu beatitudo in communi una sit; sed quod ratio formalis in particulari, et in concreto, qua aliquid ut finis ultimus appetitur, seu ipsa formalitas finis ultimi, una sit in quacumque re, quæ appetitur ut ultimus finis, etiam si illa materialiter ex pluribus rebus integretur, ut patet manifeste in hac quæstione, articulo quinto ad primum, ubi dicit: « Quod illa quatuor bona in quibus aliqui constituebant ultimum finem, acci-

piebantur in ratione unius boni perfecti, ex his constituti, ab his qui in eis ultimum finem ponebant. »

EXPENDITUR SECUNDA RATIO.

XXVI. Secunda ratio D. Thomæ qua probat finem ultimum, non posse esse nisi unum ita est: Finis in voluntate se habet ut principium, quod naturaliter desideratur, sicut in processu rationis, principium est id, quod naturaliter cognoscitur: natura autem non tendit nisi ad unum; ergo principium in processu voluntatis debet esse unum. Sed principium in appetibilibus est finis ultimus, quia ab illo incipit intentio, motusque voluntatis; ergo finis ultimus debet esse unus.

In hac ratione, hoc secundum enthymema non habet difficultatem, quia constat, quod finis se habet in appetibilibus, sicut principium in speculabilibus, et sic si principium in appetibilibus debet esse unum, bene sequitur quod finis ultimus est unus, quia hoc est principium in appetendo, seu in movendo ad appetere. In primo autem syllogismo est difficultas aliqua in majori, et multo major in minori. In majori est difficultas, quomodo intelligitur, quod finis naturaliter desideratur, si quidem libere amari potest finis, et in ipso primo actu volendi ultimum finem, potest esse meritum, quia est actus charitatis; et in Angelis fuisse in primo instanti creationis docet D. Thomas I part. quæst. LXIII, articulo V ad tertium, et nos late docuimus II tomo, I part. disput. XXIII, ergo in primo actu, in quo utique fertur in finem, non naturaliter, sed libere fertur; ergo cum indifferentia ad plura, saltem in exercitio; ergo non per modum unius determinate: et sic ex ista

ratione non infertur, principium illud, quod est finis ultimus, debere esse unum. In minori est major difficultas, quod scilicet natura non tendat nisi ad unum. Falsum est hoc, quia licet natura per unum motum, non nisi ad unum tendat, nihil tamen vetat, naturæ plures motus posse convenire, ac per eos ad plura posse tendere, et sic plura principia habere, quibus eos efficiat. Nam ignis, verbi gratia motu locali tendit sursum, motu alterationis tendit ad calorem, motu illuminationis ad lucem, motu generationis ad alium ignem. Et sic in aliis naturis plures motus videmus, generationis, alterationis, lationis. In sensitivis naturis plures potentias damus ad diversos actus cognoscendi, qui omnes non tendunt ad unum, sed ad diversos terminos. Denique in ipso intellectu, licet naturaliter cognoscat prima principia ex ipsa evidentiâ terminorum, non tamen ad unum tantum principium reducitur totus processus intelligendi, sed sunt plura prima principia, ut: « Quodlibet est, vel non est: Omne totum est majus sua parte, » et alia similia: ergo non oportet, quod primum principium sit unum, et consequenter neque ultimus finis. Adde, quod voluntas potest vitio suo, et pro libito constituere finem ultimum in eo, quod voluerit sibi facere finem; ergo non est verum quod naturaliter feratur in illum, cum possit ex libito suo, et arbitrio ferri.

XXVII. Respondetur ad primam difficultatem, quod ly naturaliter, quando dicitur, quod finis naturaliter desideratur, et principium naturaliter cognoscitur, non opponitur huic, quod est libere, et indifferenter velle; sed huic quod est, non ex alio priori principio, ita quod in illo non se moveat complete, et perfecte, sed incipiat se movere. Etenim na-

tura est primum principium motus et quietis, et sic primum principium unoquoque motu, habet vim rationemque naturæ, et sic naturaliter dicitur moveri aliquid, quando movetur circa primum principium motus. Ipsa enim natura substantialiter considerata, est in potentia ad motus suos, et oportet quod reducatur in actum ut operetur, quod est esse motam, ut moveat. Unde motus ille, quo natura constituitur in statu habili, ut se moveat, est debitus ab auctore naturæ, ut latius tradidimus II tomo, I p. disp. XXIII, agendo de primo instanti, seu actu Angelorum; et idem ostendimus lib. I de generat. disp. V, et in lib. physicorum, disp. XXII. Quia tamen natura nostra de se est intellectiva, et volitiva libere, stat bene, quod in suo primo motu, si sit perfectus, moveatur cum plena advertentia, et indifferentia iudicii, saltem quoad exercitium, et tamen naturaliter, id est, non ex alio priori principio se movendo, sed ipso naturæ pondere moveatur, seu ab ipso auctore naturæ, quia qui dat formam, dat consequentia ad formam, et dat ipsa requisita, ut natura in primo actu operetur. Unde D. Thomas I p. q. LXXXII, art. I, et quæst. XXII de verit. art. V, ostendit voluntatem naturaliter moveri circa finem ultimum; quia natura est fundamentum voluntatis, et ipsa voluntas etiam quædam natura est, et ideo inclinationem naturalem habere debet in proprium bonum. De quo infra circa quæstionem X, tractandum a nobis est.

XXVIII. Sic ergo semper ly naturaliter, id est, pro eo quod est a natura cognitum, seu ab auctore naturæ datum non per motum, et actionem naturæ acquisitum, restat videre, quomodo inde inferatur, quod principium illud primum debeat esse unum, quia naturaliter

movetur, si alias cum ly naturaliter componitur, quod etiam libere, et indifferentiter. Et dicimus recte hoc inferri, quia omnis natura habet unam speciem in essendo, et unam propriam, et essentialem differentiam; ergo et unum proprium, et specificum modum operandi per se primo, et directe, licet ex parte gradus generici, aut ex parte operationum consequentium ad primam, possit plures operationes specie diversas operari: homo enim in quantum rationalis, habet unam propriam, et specificam operationem, scilicet, ratiocinari, quæ competit ei secundum gradum suum specificum, et differentialem: plures tamen aliæ operationes specie diversæ possunt ei convenire, non secundum gradum specificum, sed secundum gradus genericos, ut secundum rationem animalis, diversi sensus; secundum gradum viventis diversæ potentiæ vegetativæ; secundum gradum corporis diversi motus alterationis, vel lationis, etc. Et similiter secundum gradum specificum, præter operationem per se primo, et directe convenientem, potest aliqua ex consequenti convenire, sicut præter ratiocinari, et intelligere, convenit velle, quia appetitus consequitur ad cognoscere. Quare id quod convenit naturaliter, seu secundum naturam, est unum; et natura tendit ad unum, intelligendo per naturam, non solum formam, sed etiam gradum naturæ; quilibet enim gradus suam naturam constituit, et sic ad unum tendit secundum illum gradum per se primo, licet ex consequenti possit ad plura tendere illi subordinata, et consecuta, ut jam amplius explicavimus. Quod si ex gradu naturali, ad unum tendit per se primo, oportet, quod secundum unum principium tendat, quia specifica unitas operationis, specificam unitatem in

formali ratione petit, atque adeo in principio formaliter sumpto, et secundum rationem formalem.

XXIX. Ad instantiam contra minorem respondetur, quod illa propositio: Natura semper tendit ad unum, intelligitur in sensu valde formali, natura sub determinato gradu naturæ; ut autem comprehendit plures gradus, secundum quos convenit cum aliis naturis, sic plures potest habere operationes, et tendere ad plura, quia virtualiter est multiplex natura, seu potius gradualiter, de quo videri potest D. Thomas quæst. XXII de verit. art. V. Et secundo intelligitur de operatione naturaliter conveniente naturæ, id est, ad quam primo, et per se ordinatur, aliud est enim naturam aliquam habere plures operationes, aliud unam naturam, seu gradum naturæ habere naturaliter plures operationes: naturaliter enim solum habet natura id quod per se primo ei convenit, reliqua vel accidentaliter, vel acquisitive, et non ex propriis naturaliter. Et hujus ratio est, quia consideratio formalissima naturæ, est in quantum est primum principium motus, et quietis, id est, radicale principium, constat autem, quod secundum diversos gradus, natura ipsa est radix diversorum motuum, seu operationum, quia sic est principium diversarum proprietatum, seu passionum. Et sic solvuntur instantiæ, et exempla in argumento allata, de diversis operationibus et motibus, quibus naturæ aliquæ tendunt ad diversa. Dicimus enim illas diversas operationes, et tendentias convenire naturæ secundum diversos gradus, aut in eodem gradu secundum subordinationem ad aliquid, primo et per se illi conveniens, quod sit unum, licet sub illo uno plura deinceps subordinari, et contineri possint: tunc enim dicitur naturaliter ten-

dere ad unum, quia tendit ad id quod per se primo talis naturæ, aut gradus proprium, et immediatum est: ad ea vero quæ subordinantur illi, tendit non ex naturali inclinatione, seu ex ipsa generatione naturæ, sed ex dispositione aliqua consequenti, vel accidenti. Ignis ergo cum habet illas plures operationes calefaciendi, lucendi, generationis, et motus sursum, illæ conveniunt, vel secundum diversos gradus naturæ ignis, vel cum aliqua subordinatione actionum. Nam ferri motu locali sursum, convenit ei secundum quod ordinatur locus naturalis in universo ad conservationem propriæ naturæ, qui quidem appetitus conservationis, ex communi ratione corporis est; determinatur autem ad talem locum sursum, ex nobilitate suæ naturæ super alia elementa. Illuminare autem, et lucere non convenit igni, nisi prout participat aliquid de natura corporis cœlestis, unde magis est accidens, quam propria ejus passio, sicut etiam aliis corporibus conveniunt aliquæ qualitates ex impressione corporis cœlestis, ut magneti ferrum attrahere. Calefacere autem, et generare ignem, conveniunt ei ex propria ratione suæ naturæ, sed sunt actiones subordinatæ, cum calefactio disponat ad generationem ignis; et ita tota operatio, et tendentia naturæ ad unum reducitur, quantum fieri potest. Similiter in natura hominis inveniuntur plures operationes secundum gradum sensitivum, et vegetativum; gradui autem rationali per se convenit una operatio, quæ est ratiocinari, cui subordinatur, et deservit operatio sensitiva, consequitur vero appetitiva. Et in natura animali sunt plures sensus externi, subordinati interiori æstimatori; et sic semper plures operationes, seu potentiæ ordinantur ad unam